



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 39. Legatorum Sententia Pontifici manifestata circa residentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. „decentes peterent, liceret eos dimit-
A.C.1562. „tere, simulque dissolvere Concilium,
 „eoquod illud ad eam usque diem aper-
 „tum eo duntaxat fine extaret, ut illi
 „revocarentur ad frugem, & Catholici
 „fructum, quem inde sperabant, col-
 „ligerent.

§. XXXIX.

*Legatorum sententia Pontifici mani-
 festata circa residentiam.*

Pailav. l. 17. **P**ostea Legati in literis, quas Depu-
G. 2. n. 4. tato commiserant, pariter de ar-
 ticulo, qui residentiam tangebatur, men-
 tionem fecerunt: porro hanc quæstio-
 nem, ut Legati sopirent, Pontifex præ-
 cipiebat, id tamen non ex eo fieri Car-
 dinalis Borromæus datis ad Simonet-
 tam literis fatebatur, perinde acsi quod-
 dam damnum in Sedem Apostolicam
 redundaret, si hæc lex juris esse divini
 declararetur, sed hanc quæstionem agi-
 tari inhibebatur, quia circa eandem in
 Concilio acrior exorta fuisset contentio,
 Patrumque dissensio, ex qua rumor
 omnes Europæ Aulas pervaserat, quod
 ejusmodi decisio in Sedis Apostolicæ,
 atque auctoritatis Pontificæ exitium
 tenderet: proin desuper decretum pro-
 mulgare, nec decorum, nec honestum
 esset. Ceterum cum summus Ponti-
 fex hanc quæstionem sopiri percuperet,
 a Le-

a Legatis suis sciscitabatur, num ipsis ^{Sæcul. XVI.}
consultum videretur, ut diplomate edito A.C. 1562.
residentia præciperetur, simulque cun-
ctis diligenter residentibus ampla pri-
vilegia, aliis vero legem transgredien-
tibus graves adjicerentur pœnæ.

Ad hæc respondebant Legati: „Lu-
benti animo hunc articulum suppri-
meremus, si id nobis liberum foret:
cum autem in hoc animadvertamus
Patrum dissidia, & incommoda, hæc
quæstio ægre decidi poterit, sine Con-
cilio damno, & dedecore Pontificis,
Legatorum, & Aulæ Romanæ, quæ
infirmulatur, quasi reformationi obsta-
ret: fatius ergo nobis videtur, si arti-
culus altera ex duabus hisce formis
definiretur, quarum prima est, ut a
Theologis prius agitaretur, & dein a
Patribus, postea vero pro majoris par-
tis sententia res sanciretur: porro al-
ter modus est, ut in Decreti verbis po-
tius res tanquam minime dubia, ac
veluti jamjam definita contra plurimum
suffragia proponeretur, atque subinde
hujusmodi Decreto præmia, & pœ-
næ, quibus ejus observatio firmare-
tur, adjicerentur, atque ut in alter-
utra forma suprema Pontificis auctori-
tas in eodem gradu tanquam Ecclesiæ
capitis collocaretur: cum ea ratione
occurreretur cunctis pravis consecutio-
nibus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„nibus, quæ ex eo recens condito, ac
„confirmato dogmate confici possent.
Ceterum, prosequerentur Legati,
„consilium, vi cuius sua Sanctitas di-
„ploma de hac residentia edere medi-
„tatur, nobis haud probatur; perti-
„nescimus enim, ne illud a multis con-
„sideretur veluti artificiosum effugium,
„cujus ope definitio a tot Prælati-
„cunctisque ferme Nationibus, ac plu-
„ribus Principibus exoptata impedire-
„tur, proin verendum esset, ne hi ejus-
„modi diplomati oblucentur, hacque
„ratione Pontificia auctoritas iisdem
„exponeretur contentionibus, quæ olim
„Basileæ movebantur: consultius igi-
„tur fore censemus, si ante Mensem
„Octobrem hæc definitio in Synodo fie-
„ret, ut tunc confectis decretis circa
„morum emendationem, Patres alacri
„jam animo ad suas Dioceses reverti
„possint, cum Synodum absolvi cerne-
„rent. „ Hæc fuere mandata Archie-
„piscopo a Legatis communi suffragio
„data: ea vero, quæ Simonetta specia-
„tim committebat, longe diversa erant.
Præterea Altempio Cardinali fuit in-
„junctum, ut Pontificem certum redde-
„ret, quod cuncti Legati Sedis Apo-
„stolicæ commodis studiosissime deser-
„viant, atque Episcopi, qui residentia
„legem juris divini declarari peterent,
præ

præ ceteris quoque, qui adversam tuen-
tur sententiam, majori adhuc studio
Pontifici addicti sint. Hæc commen-
datio Mantuanum, ac Seripandum in-
genti afficiebat lætitia.

§. XL.

*Pontificis consilium de dissolvenda
Synodo.*

Postrema hæc cautela eo magis erat
necessaria, quo firmiter Pontifex,
priusquam Archiepiscopus Romam ve-
nisset, habito Patrum Senatu Synodi
continuationem declarare, ac ipse re-
sistentiæ articulum decidere decreverat:
quæ res ad Synodi suspensionem, quam
desiderabat, spectasset, prout Lan-
fascus in epistola ad viduam Franciæ Re-
ginam data die septima Junii his ver-
bis significabat. „Nuntiare oportet,
„quod Odescalchus a sua Sanctitate ad
„Hispaniæ Regem fuerit ablegatus, ut
„illum hortaretur, quatenus Religio-
„nis causæ in Francia favere, opem-
„que ferre, simulque suas vires cum
„summo Pontifice foedere inito jungere
„vellet adversus illos, qui sese a Reli-
„gione Catholica segregarunt; cum au-
„tem ad hoc bellum ingentes expensas
„facere oporteret, sub hoc prætextu
„Regem inducere, Odescalchus jubeba-
„tur, ut Synodi suspensionem approba-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

*Mem. pour
le Conc. de
Trente lett.
de Lansac a
la Reine du
7. Juin.
pag. 221.*